



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Episcopo Davaliensi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

NEOPATRENSI ARCHIEPISCOPO,
& Episcopo Davaliensi, & dilecto filio
electo Nazorescensi.

Epist. 189.
De obedientia
quam Episcopi
debent suis Me-
tropolitans.

Venerabilis frater noster Larissensis Archiepiscopus sua nobis conquestione monstravit quod venerabilis frater noster Dimitriacensis Episcopus suffraganeus Larissensis Ecclesie, fultus potentia laicali, eidem denegat obedientiam & reverentiam debitam exhibere. Quocirca discretioni vestre per apostolica scripta mandamus quatenus prefatum Episcopum ut debitam obedientiam & honorem exhibeat Archiepiscopo memorato monere diligentius & inducere procuretis, eum ad hoc, si necesse fuerit, districtione qua convenit appellatione remota cogentes. Nullis litteris veritati & justitie prejudicantibus &c. Quod si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum Laterani vi. Idus Decembris, pontificatus nostri anno undecimo.

ELECTO NAZORESCENSI.

Epist. 190.
Suscipitur sub
protectione a-
postolice sedis.

CVm à nobis petitur quod justum est & honestum &c. usque effectum. Ea propter, dilecte in Domino fili, tuis justis postulationibus grato concurrentes assensu, Nazorescensem Ecclesiam cum omnibus que in presentiarum rationabiliter possidet &c. usque communimus. Decernimus ergo ut nulli omnino hominum liceat hanc paginam nostre protectionis infringere vel ei &c. Si quis autem hoc attentare presumpserit &c. usque incursum. Datum Laterani v. Idus Decembris, pontificatus nostri anno undecimo.

EPISCOPO DAVALIENSI.

Epist. 191.
De eodem ar-
gumento.

CVm à nobis petitur &c. usque effectum. Eapropter, venerabilis in Christo frater &c. usque assensu, Davaliensem Ecclesiam cum omnibus que in presentiarum rationabiliter possidet &c. usque communimus. Decernimus ergo &c. hanc paginam nostre protectionis infringere &c. usque incursum. Datum ut in alia per totum.

EPISCOPO ET ARCHIDIACONO
Cremonensibus.

Epist. 192.
De electione
Abbatis de
Cornu.

CVm venerabilis frater noster Yporiensis Episcopus & dilectus filius Albertus Presbyter Mantuanus ad monasterium sancti Stephani de Cornu ob visitationis & correctionis officium accessissent, statutis in eo plurimis que regulari con-

gruunt honestati, quia P. tunc Abbas ejusdem monasterij super lapsu carnis, crimine simoniae, ac multis aliis graviter fuerat infamatus, cum ipsi juxta officij sui debitum super iis vellent inquirere veritatem, idem Abbas eis humiliter supplicavit ut secundum formam juris procederent circa ipsum, cum notoria res non esset, nec vexaret eum fama publica vel privata, nec etiam contra eum accusator aliquis appareret. Cumque ipsi supplicationes vel potius exceptiones hujusmodi tamquam frivolas non admitterent, dictus Abbas sedem apostolicam appellavit. Sed eadem appellatione hujusmodi, velut frustratoria, non admissa, à Priore ac multis monachis ipsius cenobij, qui super hoc deposuere jurati, de premissis inquisierunt plenius veritatem. Interim autem cum de predictis visitatoribus Abbas ipse in auditorio nostro gravem fecisset conquestionem deponi, venerabili fratri nostro Vberto Mediolanensi Archiepiscopo S. R. E. Cardinali dedimus in mandatis ut inquireret ab Episcopo & Presbytero memoratis qua de causa induci fuerint ad inquisitionem hujusmodi faciendam, & nisi aliam rationabilem causam ostenderent, ne procederent ad inquisitionem predictam auctoritate ipsis apostolica prohiberet, in statum debitum revocato si quid post appellationem ad nos rationabiliter interpositam in ipsius Abbatis prejudicium attentassent, alioquin canonicum haberent in eadem inquisitione processum. Cum igitur de ipsorum processu tam per litteras eorundem quam per relationem Episcopi memorati nobis plenius constitisset, dictum Abbatem ab eadem abbacia exigente justitia duximus removendum, discretioni vestre per apostolica scripta mandantes quatenus & quod à nobis est super hoc provida deliberatione statutum faciatis per censuram ecclesiasticam sublato contradictionis & appellationis obstaculo firmiter observari, ac Priori & fratribus ipsius monasterij auctoritate apostolica injungatis ut personam idoneam per electionem canonicam sibi praeferant in Abbatem. Ipsum quoque depositum ad restituendum privilegia monasterij & alia que suae fuerant commissa custodiae per censuram eandem sublato appellationis obstaculo compellatis, contraditores, si qui fuerint, vel rebelles districtione simili compescentes. Datum Laterani xvi. Kal. Januarij, pontificatus nostri anno undecimo.